AUGUSTINUS

Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

patria. Sed quid ait iste? Longinqua facta est peregrinatio mea. Maxime eorum uox est
id est ipsius ecclesie que laborat in hac terra. Huius uox est que clamat a finibus terre in alio loco
psalmi dicens: A finibus terre ad te clamaui. Quis nostrum clamet a finibus terre? Nec
ego nec tu nec ille. Sed a finibus terre ipsa sola ecclesia tota hereditas Christi clamat. quia
ecclesia hereditas eius. et de ecclesia dictum est: postula a me et dabo tibi gentes heredi-
tatem tuam. et possessionem tuam terminos terre. Si ergo possessio Christi usque ad fines terre.
et possessio Christi omnes sancti. unus homo in Christo quia unitas sancta in Christo est. ipse unus ho-
mo dicit: A finibus terre ad te clamaui, cum angeretur cor meum. Huius ergo hominis lon-
ginqua peregrinatio facta est inter malos. Et tamquam si diceretur illi: cum quibus ergo habitas ut
gemas? peregrinatio inquit mea longinqua facta est. Sed quid? Si cum bonis esset, diceret heu
me? Heu uox est miserie. uox est calamitatis et infelicitatis. Sed tamen in spe. quia
iam uel gemere didicit. Multi enim miseri sunt et non gemunt, et peregrinantur et redire no-
lunt. Iste iam uolens redire, cognoscit infelicitatem peregrinationis sue. Qui agno-
uit illam redit et ascendere incipit. quia canticum graduum cepit cantare. Ubi ergo gemit?
et inter quos habitat? Inhabitaui cum tabernaculis cedar. Verbum hoc quia hebreum
est, procul dubio non intellexistis. Quid est inhabitaui cum tabernaculis cedar? Quantum
meminimus ex interpretatione hebreorum, tenebras significat. Interpretatum cedar, latine
tenebre dicuntur. Nostis autem duos filios habuisse abraham quos quidem commemorat
apostolus. et ad imaginem duorum testamentorum esse dicit. Unus de ancilla erat. alter de li-
bera. Ex ancilla ismahel erat; de libera sara. quem suscepit ex desperatione per fidem
ysaac erat. Utrique ex semine abrahe. sed non utrique heres abrahe. De abraham natus
unus. sed tamen non hereditat. Alter et heres. non solum filius sed et heres. In ismahel sunt omnes
qui carnaliter colunt deum. Ad ipsos enim et uetus testamentum pertinet. quia sic dixit apostolus.
Sub lege uolentes esse in lege non audistis? Scriptum est enim quod abraham duos filios ha-
buit. unum de libera. et unum de ancilla. que sunt in allegoria. Hec sunt duo testamen-
ta. unum uetus et alterum nouum. Uetus testamentum a deo. et nouum testamentum a deo. Que sunt duo testamenta.
quomodo de abraham. et ismahel. et ysaac. Sed ismahel ad terrenum. ysaac ad celeste
regnum. A deo uetus promissiones habet terrenas. terrenam hierusalem. terrenam palestinam. regnum
terrenum. salutem terrenam. hostium subiugationem. habundantiam filiorum. fecundita-
tem frugum. Omnia ista promissiones sunt terrene. In figura spiritaliter intelliguntur. Quomodo
hierusalem terrena umbra erat regni celorum. Ismahel in umbra. ysaac in luce. Si ergo is-
mahel in umbra, non mirum quia ibi umbra pinguior est. Etenim umbre tenebre sunt.
ergo ismahel in tenebris. ysaac in luce. Quicumque hic et in ecclesia terrenam felicitatem que-
runt a domino. adhuc ad ysmahel pertinent. Ipsi sunt qui contradicunt spiritalibus proficien-
tibus et detrahunt illis. et habent labia iniqua et linguas subdolas. Contra quos roga-
uit iste ascendens. et appositi sunt carbones desolatorii. et sagitte potentis acute.